

Obstruerent? Mentem præsens vis ipsa pericli  
Subdidit hanc miseris, jamjam omnia victa fragore  
Succidere horrisono, terram, mare, sydera verti.

Corripuit stupor altus, & omnes abstulit unà,  
Sopivitque animi sensus formidine tanta,  
Ut, quod in adversis fit rebus, tollere palmas  
Scilicet in cœlum, Superosque exposcere pacem,  
Nos neque possemus nostri meminisse, neque ullas  
Aut oculis lacrymas, aut pectore fundere vota.  
At neque, sancta Deum si templa fuisset adire  
Mens nobis, tali in fortuna ut debuit esse,  
Usquam inventa forent totam quæsita per Urbem;  
Omnia namque solo miserè prostrata jacebant  
Omnia Tempa, Theatra, Lares, & publica teatæ  
Undique præcipitata immani eversa ruina.  
Ante alia illud in his miserandum magnopere unum  
Rebus erat, multis plenam modo millibus Urbem  
Vidisse, & populo ferventia strata viarum,  
Urbis post lacerum simularum, & nomen inane  
Aspicere, & cæcis quod iam serpentia sœcla  
Incolerent, sœcla & volucrum nocturna latebris.  
At quid, pro superi! tanta de gente, quid illo  
Factum est de populo? strata jacet Urbe sepultus  
Scilicet, atque animas lapidum sub mole, sub ipsis  
Exhalat tumulis: tantum resonare querelæ  
Undique, confusus ferri super æthera clamor.  
Quis memoret tantas tam parvo in tempore cædes?  
Præcipites Dominos tota cum gente Penates  
Contextere, suos eversaque Curia Patres  
Incubuit super, & gentem quoque tempa Virorum  
Sacrificam subita tumularunt versa ruina;  
Obtritumque viis circum omnibus undique vulgus,  
Emoriebatur; nullo discrimine lethi  
Corporaque ægra Senum, Juvenumque valentia, sexus  
Famineus, meliorque Virum, imbelliesque Puellæ,  
Et pueri infanda correpti morte peribant.

At